



De Probatis|| Sanctorvm|| Historiis

Partim|| Ex Tomis Aloysii Lipoma-||ni, Doctissimi Episcopi, Partim Etiam||
Ex Egregiis Manuscriptis Codicibvs, Qvarvm permultæ antehàc nunquàm
in lucem prodière

Complectens Sanctos Mensivm || Ivlii Et Avgvsti

Surius, Laurentius

Coloniae Agrippinae, 1576-

VD16 S 10261

De S. martyre Sabina illustriss. matrona.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77405](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77405)

Sic quidem cum festum sanctorum Theophaniorum, & sic etiam sequens, in quo ^{Cap. 19.} sacri Præcursoris memoria est altius nobis tradita, quippe qui diuini baptismatis mysterio inseruierit, peregrissemus & celebrauissimus, iudicauimus par esse manus quæ honorare depositionem festis annuis, hac quoque connumerata alijs eius festis, ut ex rebus illius nihil sit non gloriosum & admirabile. Et nunc ecce adest hoc festum clarum & insigne post circulem anni ambitum, distillans nobis imbres miraculorum, & ea afferens, quæ sunt futura animis nostris conducibilia. Est ergo nobis proposita omni ex parte gloriosa & veneranda manus Baptistæ & Præcursoris, incorporis circumdata virtutibus, quæ admirantur sancti spiritus virtutem, quæ in ea habitat. Quodnam ergo est hoc templum hodiè pulchrius? Quænam ædes diuina venerabilior, & magnificentior hac, in qua hic facer & diuinus thesaurus repositus, innumerabilem luminum splendore cum cælestibus contendit spectaculis? Sub quibus quæ supernè descendunt gratiæ sancti spiritus, dispensantur pro modo viuiscuiusque fidei, eorum, qui laudant & celebrant, animabus? In Christo Iesu Domino nostro, cui gloria & potentia in secula seculorum, Amen.

Festum anni depositionis manus S. Iohannis.

Reliquie sanctorum templi sancti spiritus.

MARTYRIVM S. SABINÆ, ILLUSTRISSIMÆ MATRONÆ, AVTHORE ADONE, TREVIRORUM Archiepiscopo, in Martyrologio.

ROMÆ in Auentino, in oppido Vindinensi, ad arcum ^{Augusti 29.} Faustini, natale beatissimæ & illustrissimæ Sabinæ martyris, quæ fuit vxor præclarissimi quondam Valentini, & filia Herodis Metallarij. Quæ passa est, Adriano imperante, sub præfecto Elpidio.

Hanc beata virgo Serapia, cum in domo eius conuersaretur, persuasit in fide Domini Iesu Christi. Quæ postmodum eandem virginem vsque ad locum passionis secuta est, & cum ei præfectus Beryllus diceret, Quid tibi ipsa derogas, aut quare te metipsam vilem reddis, aut quare non consideras, quæ es, aut cuius filia es? Coniunxisti enim te Christianis, & oblita es natales tuos, & memoriam tanti viri, cuius fuisti, & deorum, quorum iram vereor ne incurras. Reuertere magis ad domum tuam, & dimitte hanc nefandam, quæ maleficijs te & plures demutauit à cultura deorum; beata Sabina respondit: Illius sanctæ puellæ, de qua dicis, maleficijs vtinam & tu suadereris, sicuti & ego iuasa sum, & ab immundis recederes idolis, & verum & certissimum agnosceres Deum, qui bonos ad æternam vocat vitam, & malos in pœnam relinquit perpetuam. Quod Præfes audiens, reueritus illam dimisit.

S. Sabina conuertitur à S. Serapia.

Præfectus non audeat punire.

Vt verò beata Serapia gloriosissimo martyrio coronata est, illustrissima Sabina colligens reliquias eius, celebratis venerabilibus exequijs, vt thesaurum sempiternum, vel preciosam margaritam reposuit in monumento suo, quod ipsa sibi cum summo studio & ornatu fecerat. Deinde interpositis aliquot diebus, comprehensa, iudici Elpidio præsentatur. Quam ille videns, Tu es, inquit, Sabina, vxor quondam Valentini illustrissimæ memoriæ, & filia Herodis? Cui sancta matrona respondit; Ego sum, & gratias ago Domino meo Iesu Christo, qui me peccatricem per sanctam famulam suam Serapiam, de multis sordibus & potestate dæmonum liberare dignatus est.

Sistitur coram Elpidio Præfecto.

Constantianus.

Commotus postmodum Præfectus, cum videret in confessione Christi constantiam eius, dictauit sententiam, dicens; Sabinam dijs inobedientem, dominos quoque & Augustos nostros blasphemantem, gladio percuti decreuimus, atque omnes facultates eius publicis titulis designari. Passa est autem beatam famulam Christi Sabina 4. Calendas Septembris, & à Christianis sublatum corpus eius, sepultum est in monumento, ubi ipsa venerabiliter reposuerat magistram fidei suæ virginem Serapiam, ad arcum Faustini, iuxta aream Vindiciani in oppido Vindinensi.

Percutitur gladio.